



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Sermones mali, vani. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. III.

Sermo sit discretus, consideratus.

Ex Veteri, & Novo.

Superponite digitum ori vestro. Job. 21. 5. Quia digitis quaque discernimus; non incongruè per digitum discretio designatur. S. Gregor. mor. l. 15. c. 22. hic.

Os iusti meditabitur sapientiam, lingua ejus loquetur judicium. Pl. 36. 30. Præter naturam, & ordinem rerum, iusti ori meditationem attribuit: cum mentis propria sit, & oris pronuntiare quæ meditatus es: quia non temerè loquendum; sed verba præmeditanda. Deinde os hic mentem significat: sicut nomen cor, etiam pro mente, & intellectu, accipitur. Pinna Ethol. 68.

In ore fatuorum cor illorum; & in corde sapientum os illorum. Eccl. 21. 29. q. d. fatui, quidquid habent in corde, id ore effutunt: nesciunt enim sensu sua celare. Hinc videntur, cor non intrà viscera, reconditum habere, sed in ore, omnibusque patulum, & expositum. E contra sapientes ore nihil proferunt, nisi quod prius in corde bene expenderunt, juxta Pl. 36. *os iusti meditabitur sapientiam &c.* quia scilicet iustus os habet in corde. Hinc Pl. 51. 4. *totà die injustitiam cogitavit lingua tua.* Ubi Origenes: cor fatuorum in superficie situm est, non in profundo; ad labia exilit. Sic olim dictum est: Græcis sermonem è labiis ecore; Romanis è mente, & corde, proficisci. Cornelius hic.

Cogitabat, qualis esset ista salutatio? Luc. 1. 29. Docemur, nunquam loqui, dum animum aliqua perturbatio subit, in qua contingit loqui, de quibus gravis oritur poenitudo. Pl. 76. 5. *turbatus sum; & non sum locutus.* Stella hic.

Sit omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum. Jacobi 1. 19. Sic tardus erat Moyses; quod opponit, ut legationem abnuat. Ex. 4. 10. *impeditioris, & tardioris lingua sum.* Non quòd loqui ad regem non posset copiose, qui erat potens in verbis, ut notat Orig. hom. 3. in Exod. sed ut tutius, & cautius, loqueretur. Velloso in Judith 7.

Ex Patribus, & aliis.

Alliga sensum tuum fide, taciturnitate alliga sermones tuos, impone jugum ori tuo; nè indomitæ cervicæ verborum se jactet. Impone pondus, ut cautò omnia, quæ loquimur, trutinemus examine. S. Ambros. O& 22. in Pl. 118. Loquetur lingua mea verbum tuum.

Alliga sermonem tuum, nè luxuriet &c. Sit restrictior, & ripis suis coërceatur. S. Ambros. lib. 1. offic. c. 3.

Laqueus adversarii est sermo noster: sed etiam ipse non minùs adversarius est nobis. Loquimur plerumque, quod excipiat inimicus; & quasi nostrò gladio nos vulneret. Id. ib. c. 4.

Dum quidpiam enarras, noli multum adseverare; sed potiùs dubitationem significa: nec fa-

cile in verbis reprehendi poteris. S. Ephrem de perfectione Monachi.

Natura dedit pluribus animalibus auditum; loquelam non dedit, nisi homini animali rationali: ut ex hoc ostenderetur, quòd locutio debet esse rationalis. Sanct. Thom. Aqu. D. 3. Pasch.

In locutionibus vestris, non cor in lingua; sed linguam potiùs in corde tenetis. B. Humbertus de ordinatione hominis in se c. 52.

Videtur mihi, quòd homo deberet habere collum ad instar grui; ut quasi per multos nodos transiret verbum, antequam ex ore progresseretur. Dicebat B. Egidius, tertius socius S. Francisci Seraph. Boll. 23. Aprilis.

Rex quidam volebat hæredem unum de tribus filiis, qui sapientiùs ad interrogationem responderet. Interrogatus senior: si optio daretur, ut avis esset, qualis esse vellet? respondit: aquila; quòd altius volet, & aliis dominetur.

Secundus respondit: falco; quòd delicatè nutriatur. Tertius: grus longi colli; ut verba cum deliberatione matura ad os è corde venirent. Huic adjudicata hæreditas. Broymard Lingua.

Auceps in ardearum venatu non dimittit falconem, nisi priùs viderit ardeam: venator fune tenet canem, dum conspexerit feram. Et nos incauti evolare verba permittimus, antequam utilitatem ullam cernamus: aëri, & ventis, loquimur; cum sciamus, non perinde ad nos redire verba, uti ad suos dominos mansueti animalia. Ad aucupem revolat falco; ad venatorem recurrit canis; verbum semel emissum, nullis artibus ad authorem revocari potest; volat æternum irrevocabile verbum. Drexelius Orb. Phaët. c. 41. §. 4.

Sanctum præceptum Philosophiæ: Sic loquendum cum hominibus, tanquam dii audiant. Macrobius Saturn. l. 1. c. 7.

Dicebat Zeno cuidam juveni in academia de ineptis rebus loquenti: Linguâ in mentem intinctâ loquere. Stobæus l. 3.

Horologium. Lem: *Non sinè pondere sonus.* Eccl. 21. 28. *labia imprudentium stulta narrabunt; verba prudentium statim ponderabuntur.* Picinelli.

Sagitta, Lem: *nescit emissâ reverti.* Peccat quidem omnino, tam incautè noxia protulisse; sed remedium non accurrit: quia, quod semel emissum est, non possumus revocare. Petr. Dam. l. 74. de vitiis linguæ. Picinelli.

§. IV.

Sermones mali, vani.

Ex Veteri, & Novo.

Inimicitias ponam inter te &c. Gen. 3. 15. S. Basilius hom. 9. putat, pro remedio loquacitatis mulieri indictam inimicitiam; nè amplius cum hoste serpente loqueretur.

Non sum eloquens ab heri. Ex. 4. 10. Qui cum Deo multa locutus, cur tardiorē se ad loquendum ait? Philo lib. quòd potiori deterius infidetur: tardæ linguæ se dicit ad profanas, & Egyptiacas, voces; qui tamen patriam, & san-

& sanctam, linguam optime nôrat, & expedite loquebatur. Ut discamus ab eo; veloces esse ad pios sermones; ad turpes elingues. Pinna Ethol. III.

Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Job. 6. 26. S. Gregor. moral. l. 7. c. 24. In ventum verba proferre, est otiosa dicere. Dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia percurrimus. Apud Pinna in Eccl. 6. Ethol. 68.

Superseminavit Zizania. Matth. 13. 25. In toto Mundo Filius hominis seminavit bonum fenum; malus autem ille Zizania; quæ sunt sermones pravi, qui sunt ex malitia nati, mali filii, Origenes hic,

Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Joan. 3. 31.

Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia prava. 1. Cor. 15. 33.

Ex Patribus.

Nullus sit nobis sermo otiosus: ex otioso quippe sermone incidimus & in absurdos, Præsens tempus non effundendi gaudii, sed luctus est; tribulationum, & lamentationum. Tu vero leviter urbanis facietis jocularis? Quis athletarum stadium ingressus, relicta sollicitudine cum adversario certandi, facietis utitur? Inflat diabolus, circuit rugiens, ut rapiat omnia; movet, & tentat; omnia adversus caput tuum invertit; extraque nidum eicere te molitur; dentibus stridet, ac fremit; ignem spirat adversus salutem tuam: & tu sedes, facietis effundens; & quæ stulta sunt, & ad rem non conveniunt, effutis? Ludimus dilecti, &c. S. Chrysost. l. 17. in ep. ad Eph. c. 5.

Mordere scommatis, procul est à Christianis. Linguam habes; non ut alios salibus tuis mordeas; sed ut Deo gratias agas. Id. ibid.

Si quis verba pronuntiat inutilia, audire noli; ne perdat animam tuam. Quod si eam te offenditur; non sit tibi cura. Dic: animus meus hoc ferre non potest; omite ea, obsecro: neque enim major ego sum primò illò homine, quem manibus suis formavit Deus; & pravis colloquiis corruptus est. B. Iñias Abb. orat. 8.

Lapis in aquam projectus, eam perturbat: & hominis mentem sermo malus. S. Nilus lib. ascet. or. 4. de ira.

Qui pravam sermonem suscipit, is per fenestras mortem admittit. B. Theodoretus in Psalm. 28.

Nil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, & interioris gustus dulcedinem tepescit; sicut inanis loquacitas, S. Laurent. Just. de discipl. monast. c. 15.

S. V.

Sermones facti.

Hujusmodi verbis per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti &c. Gen. 39. 10. Adulterinus sermo juvenula, nodus adolescentium est: verba adolescentis vincula sunt amoris. Vidit hunc ignem Joseph, quando eum adulterii cupida mulier allocuta est, voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum; sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautela, fidei custodia, castimonie disciplina. Capere ergo eum rebus suis impudica non potuit: misit manum, & apprehendit vestem ejus; ut nodum stringeret. S. Ambros. l. 1. de penit. c. 13.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Pf. 5. 11. Ex quorum ore procedit turpiloquii foetor. Sanct. Thomas Aqu. in 3. ad Rom. Lect. 2.

De ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. Apoc. 9. 17.

A turpiloquio nos omnino abstinere oportet; & eis, qui illò utuntur, os obstruere; & aspectu severiore, & vultus aversione, & subfannatione, & saepe etiam asperiori oratione. Clem. Alex. paedag. l. 2. c. 6.

Non aberraverit quispiam, si eorum, qui obscena verba loquuntur, ora, sepulchra appellaverit: ille enim foetor est sensili multò gravior, qui quidem ex anima putredine oritur. Sanct. Chrysost. in Pf. 5.


Veneris equi, arma, & sella, verba turpia sunt. Id. hom. 71. in Matth. 22.

Si quis, qui habet vas aureum, eò ad vilem usum uti nunquam in animum induxerit, propter pretium materiae: multò magis, cum aurò, & margaritis, habeamus ora longè pretiosiora; non par est, ut ea polluamus verbis turpibus, & impudicis, maledictisque, & contumeliis. Idem in Psalm. 140.

Undarum impetu navis malè instructa periclitatur: & verborum impudicorum vi mens imperata pervertitur. Sanct. Nilus orat. 2. de gula.

Crabrones ab apibus ad convivium invitati, spreto melle, & floribus, cum indignatione recesserunt. Apes alià die à crabronibus invitatae, foetidis rebus spretis, avolarunt. Casti amant sermones castos, impuri obscenos. Broymard sermones.

Lingua est rubicunda; ut verecunderetur proferre verba inhonesta. Geminiani l. 6. c. 75.



TITU-